

54

LEONARDI AUGUSTINI

pompis circensibus solitum quoque anteire chorum similibus histrionum ad voluptates vulgi, ut notat eruditissimus Panvinus. Baculum incurvum, quod hic manu tenet, dicebatur *pedum*, quo pastores solebant coercere pecora.

137. FAUNA.

Jocatur luditque cum puero, eum sublevans super alterum pedem suum. Est hæc una ex fictis Faunorum personis, una cum viris eandem lasciviam adjuvans & scurrilitatem scenæ, ut dictum est. Etiam hodie videmus ab Cæretanis in publicis locis pares ludos jocosque agitari.

138. SACRIFICIUM SALUTIS.

Serpens sacer fuit Apollini & Æsculapio tanquam Genio salutis, quia quotannis renovat exuvias, atque etiam habitus fuit symbolum boni & felicitatis augurii (ut auctores sunt Homerus & Virgilius) in Ænæ ingressu in Italiam, quo tempore apparuit anguis circa patris Anchisæ sepulchrum, cujus apparentia agnoscebatur optimum præfagium. Etiam Valerius Flaccus ex ipsis his serpentibus faustum omen deducit incepto Argonautarum.

*Dixerat, & summis frondentes contulit aris
Libavitque dapes, placidi quas protinus angues
Umbrarum famuli linguis rapuere coruscis.*

In hoc autem fardio conspicitur sacrificans, qui tenet anguem vicinam altari foculo accenso, ac præterea